



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

I. Scholia in Constitutionem Concilii Lateranensis. II. Conservatorias
Ecclesiasticas quaest. 130. III. Conservatorum Laicorum materiam,
Tribunali viginti duûm virum Leod. adoptatam comprehendens

**Chokier, Érasme de
Coloniae Agr., 1684**

Quæstio 87. An hæc Eugeniana eximat Romipetas à Jurisdictione
Ordinariorum quo ad lites captas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61908)

negotiorumque temporalium. Quid vero si quis animi seu recreationis causa Romam petat. Licet favorabilis sit recreatio, uti superius ostendi, §. de iur. Scholio 170. an & hæc causa ad hanc constitutionem extendi possit, nunc non disputo.

QUÆSTIO LXXXVI.

Quid si Romipeta delinquat, an privilegio Eugeniae gaudeat.

S U M M A R I U M.

1. Romipeta delinquens Privilegio non gaudet.

Respondetur quod non. Alphonsus Vinaldus ad Bullam Cœna Domini, no. 28. Gregorius Sayr. in Thesuro Theol. Moralit lib. 3. cap. 14. num. 8. Reatus enim omnem honorem solet excludere, cap. Privilegium 11. quest. 3. l. 1. C. ubi Sententia. quous C. de dignitatibus, lib. 12.

QUÆSTIO LXXXVII.

An hæc Eugeniaa eximat Romipetas à Jurisdictione Ordinariorum quo ad lites ceptas.

S U M M A R I U M.

1. Exemptio concessa motu proprio, extenditur ad causas pendentes.
2. Privilegium superveniens non eximit à jurisdictione iudicis qui prevenit.
3. Per preventionem acquiritur jus pariter.
4. Pontifex non censetur velle in tertio quæstum tollere.
5. Romipeta non possunt progressum iudicis impedire.

Videtur quod sic, quia Exemptio concessa motu proprio, extenditur etiam ad lites pendentes coram ordinario, Clem. si Roma de prebendis Apost. ad Abbatem in cap. cum dilectus de iur. patr. Barib. l. 1. nu. 3. ubi etiam Apost. ff. de panis, & ego latius. lib. 2. de Jurisd. Ord. in Exemptio cap. 16. nu. 14. sed in contrarium est, cui & ego assentior, quod privilegium fori superveniens non eximat à jurisdictione iudicis qui prevenit, cap. proposuisti ubi DD. de foro compet. signanter etiam, quod consti-
tutioni

tutioni Eugeniana non insit clausula motus proprii, & si inesset, attamen ejus roboris non esset, ut noceri possit causa jam pendenti, *Fel. in Repert. verb. Privilegium sine pendente*. Id quod ego paulò uberius loco jam citato comprobavi. Quibus ego addo per preventionem judicii acquiri jus parti prosequendi & ad exitum juris ordine servato producendi causam coram iudice preventivo ceptam, *l. ubi ceptum ff. de iudicio*, cuius progressus si praetextu itineris Romani Pontifex sifteret, jus parti questum tolleretur, quod nunquam facere censetur, ut in regula Cancellariae de non tollendo jus questum declaratur, cuius explicationem plenam vide apud Joannem à Chokisier fratrem meum in suo ad Reg. Cancell. commentario, ad Reg. 16. Unde consequens est, adversus Romipetas non impediri lites ceptas, nec executiones rerum ante judicatarum, quia quamdiu sententia executioni necdum est demandata, his adhuc durare dicitur, *Rota noviss. dec. 33. num. 10. par. 3. Achilles à Grassis dec. 1. id late praedictis*, nihilque censetur perfectum, quamdiu aliquid superest peragendum, *l. cum Silla manum C. de his quibus ut indignis, fo. de Platea l. cum procuratores C. d. metalis, lib. 11.*

QUAESTIO LXXXVIII.

An Romipeta possit sibi seu attestari,

SUMMARIUM.

1. Debitor fugitivus potest arrestari.
2. Protoproxia est iudicii limen & species.
3. Principem advenies arrestari non possunt, nisi periculum sit in mora.
4. Arrestari possunt Romipetae si agatur de chirographi recognitione.

Sunt qui prima facie responderent posse, quia debitor fugitivus potest arrestari, *Caccialupus fufe de debitore suspecto, Peck. de Jure sist. cap. 2. l. an prator §. si debitor ff. qua. in fraudem cred.* sed verius est non posse.

Ratio est, quia Eugeniana irritat omnes processus motos Romipetis; Protoproxia vero, id est prima illa quasi velitatio & judicialis congressus ab arresto exordium sumens, processus est atque iudicii species. *Wamesius ca. meminimus 9. v. 3. de appellat.* quo autem removetur genus, removetur & quaelibet ejus species, *si causa cognita nisi DD. C. de transact. preses in locis legalib. loco à genere ad speciem.* Confirmari aliunde id posset, sicuti enim qui ad curiam Principis accedunt, arrestari non possunt, *Peck. de Jure sistendis cap. 5. nu. 11.* ita neque quia ad curiam Papae, id quod